



Virtutis Solidæ Præcipua Impedimenta, Subsidia, Et Incitamenta

Commentationibus Illustrata, Omnium Usui Aptatis. Quæ Servire Insuper
Poterunt Pro Argumento Concionum: Uti Et Considerationum Tempore
Exercitiorum; præsertim verò pro gemino sacræ collectionis triduo; prout
ex subjectis hunc in finem elenchis patet. [...] Partes Tres

Subsidia

Bellecius, Aloysius

Ratisbonæ [u.a.], 1755

Cap. I. De perfectione operum quotidianorum. Ea perfectè obeundi
incitamenta sunt.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55547](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55547)



CAPUT I.
DE ACCURATIONE
IN PERAGENDIS OPERIBUS
QUOTIDIANIS.

Ex operationum nostrarum perfectione nostram quoque sanctitatem dependere, ita quidem, ut is solum perfectus dici mereatur, qui illas accuratè exequitur, à S. S. Patribus asserta communi calculo veritas est. Quin ipsa Christi sanctimonia Marci Cap. 7. v. 37. tota his verbis comprehensa definitur: *bene omnia fecit.* Ut ergo etiam nos præcipuo hoc acquirendæ perfectionis subsidio rite utamur, afferam gemina actiones quotidianas bene obeundi incitamenta. Primum est, lucrum aliàs cessans. Alterum est, damnum secus emergens.

§. I.

§. I.

Lucrum aliàs cessans.

I. **M**ortalium vita non est nisi ca-
 tena ex recurrentibus quavis ^{1.} *Amisso*
 die actionibus contexta; hæ si debita *innume-*
 cum perfectione exerceantur, sunt *rabilium*
 actus virtutum. Proin nostra omnis *graduum*
 vita erit catena aurea continuarum *gratia, &*
 felici serie subsequentiū se mutuò *gloria.*
 virtutum, si illæ sanctiori modo per-
 ficiantur. Cūque secundū Theo-
 logiæ placita (d) salutari cuilibet
 actui, si à justo patretur, respondeat
 gradus gratiæ inhærentis; & cū cui-
 libet gradui talis gratiæ etiam compe-
 rat gradus gloriæ in cœlo æternū
 duraturæ, sequitur, quòd opera quo-
 tidiana accuratè obita, sint catena
 aurea non solū innumerabilium vir-
 tutis actuum, sed insuper innumera-
 bilium graduum gratiæ in hac vita

A 3

&

(d) Conc. Trid. sess. 6. can. 32. *Si quis dixerit . . . ipsum justificatum bonis operibus . . . non verè mereri augmentum gratiæ atque eti- am gloriæ augmentum, anathema sit.*

& dein gloriæ in altera, beata serie à se invicem dependentium.

Quolibet die minimum viginti circiter diversæ actiones peraguntur; adeoque per hebdomadam ejusmodi functionum numerantur minimum centum sexaginta: mensis autem spatium sexcenta quadraginta. Itaque his, si perfectè fiant, lucratur mensis spatium sexcentos quadraginta gradus gratiæ in hac vita, & totidem gloriæ in altera. Si autem imperfectè, tepidè, malè perficiantur, omnium horum irreparabilis jactura fit.

Est autem unicus talis gratiæ & gloriæ gradus res tanti pretii, ut pro unico ejusmodi obtinendo, dæmones libentissimè millies multiplicata inferorum supplicia essent passuri; & si Beati capaces doloris forent, neglectionem etiam unius gloriæ gradus æternis lacrimis essent persecuturi. Nunc quidem hoc lucrum cessans, inestimabilem hanc ac nunquam reparandam tot graduum gratiæ & gloriæ

riæ amissionem infelici risu cæci contemnimus. At ô quàm aliam in articulo mortis, quàm diversam in iudicio de horum irreparabili dispendio sententiam feremus!

Proin, ô destinata coelis anima! mentem, quæso, collige, & lucri, quod perdis, magnitudinem perpende. En! si hanc, quam præ manibus habes meditationem, lectionem, aut aliam occupationem rite compleveris, incomprehensam Divinæ Naturæ formositatem clariori obtutu æternùm intueberis: intensiori eandem amore perpetuò complecteris, majorique beatitudine sempiternùm frueris. Nam quemlibet supernæ virtutis actum à justo positum, mereri novum cœlestis gloriæ gradum docet fides. (e)

Contrà verò si eandem malè & oscitanter perfeceris, amittis integram æternitatem majoris cujusdam beatitudinis: perpetuò perennem illam Divinitatis amabilitatem uno gra-

A 4

du

(e) Conc. Trid. sess. 6. can. 32.

du minùs intensè amabis, minùs clarè cognosces; quotque hætenus opera negligentius deproperasti, tot æternitates clarioris cognitionis DEI, intensioris ejus amoris ac majoris felicitatis perdidisti.

Ad hæc jam quæ tibi mens? ah! tota æternitate majori beatitatis gradu carere, & quidem ob nihil: sæculis æternùm duraturis DEUM minùs amare: DEUM infinitè bonum in se, infinitè beneficum erga te, hunc minùs amare: infinitam illius venustatem æternùm minùs perspicuè intueri; idque ob turpem ignaviam, quæ tam facili negotio excuti potuisset. Enimvero cælis dignus haud est, cui tanti lucri jactura non dolet.

Ah! dolet, ô Conditor siderum! heu! quid egi, dum illud opus imperfectè peregi? Vah! integra æternitate majoris felicitatis prodigè me abdicavi. Occasionem perpetuò Te, ô Amor pulcherrime! apertiùs intuen-
di, & ardentiùs amandi temerariè neglexi

glexi; & (ô fluite lacrimæ!) ob levem commoditatem neglexi.

O *DEUS* *ulciscens!* (f) si ob actionem diurnam segniùs exactam me oculo privares, vel manu aut pede mutilares, dolerem; huicque calamitati multo gemitu parentarem. En! ob eandem negligentiam spolias me nova gratiæ stola, sublimiori gloriæ corona, altiori que throno; & rideo, dispendii magnitudinem vilipendens. Et hoc agit (obstupefcite Seraphini!) Religiosus, Sacerdos, qui scit, & fateretur, unius talis gradûs ademptionem, sensuum omnium ac ipsius etiam vitæ amissionem immensum excedere.

Et hoc est, Divine Judex! quod capitalem me reddit; (*nam confitebor adversum me injustitiam meam.*) (g) Quòd enim homines mundani, familiæ negotiis distracti, ejusmodi detrimenta minùs curent, culpabile quidem est, mitiùs tamen ferendum; cum ob vitæ

A 5 condi-

(f) Psal. 98, v. 8. (g) Psal. 31, v. 5.

conditionem aliquatenus excusari mereantur. At verò quòd Religiosus ego, cujus omnis vita non nisi continua gratiæ amplificatio esse oporteret; quòd sacerdos, qui calorum gaudia infinita esse ac æterna credo, idque alios etiam doceo; quòd, inquam, ego non majori desiderio flagrem, Te ultimum Finem meum clariùs videndi, ac intensiùs amandi, quàm stupidus & rudis Indus; quòd mihi plus doleat jactura vilis reculæ, quàm altioris gloriæ; quòd mihi perinde sit, primum an infimum in cœlo locum obtineam, modò aliquem obtineam; id enimvero indigna, turpis, execranda, & ab Epicuro afflata rerum cælestium vilipensio est, quæ ultricibus flammis quàm diutissimè castigari meretur. Verùm, ô Domine! cum concesseris lumen, quo agnoscerem rei indignitatem, da quoque auxilium, quo adjutus, etiam emendem agnitum errorem.

II.
Jactura
plurimo.

II. Præterea quodlibet opus, debita cum perfectione patratum, affert Divinæ

vinæ Majestati honorem, Ecclesiæ triumphanti gaudium, militanti meritum, purganti levamen. Singula minutatim expendantur. Quotidiana ejusmodi operatione, præsertim sacrificio aut penso sacerdotali rectè persoluto, possemus modò obtinere alicujus peccatoris conversionem: modò impedire innocentis cujusdam corruptionem: nunc mereri piacularis animæ liberationem. O quanta hinc merita in nos quoque redundarent!

Possemus non rarò avertere publicam quandam calamitatem, impendentem Ordini vexationem, hæresum propagationem, morbos, incendia, luem; nisi irrepens tepor aliúsve nævus actionem vitiaret, & superna merendi virtute exueret. Quòd enim operibus bonis ejusmodi mala propulsare, & salutaria etiam aliis dona promereri valeamus, fidei dogma est, constanti Ecclesiæ praxi confirmatum, fundatumque in comunione Sanctorum, quam in symbolo profiteamur.

Insuper

Insuper anima, suis actionibus accuratè obeundis intenta, est *lampas ignea*, (h) quæ charitatis oleo animata, in domo DEI aliis quoque constanter lucet, & ardet; nam *per bona opera proximis nostris lucis exempla monstramus*. (i) est *altare aureum*, (l) ex quo thymiama orationis ad thronum DEI perpetuò ascendit; tunc quippe secundùm Christi monitum, (m) *sine intermissione oramus; cùm opera DEO placita exercemus*. (n) Denique similis est illis *Seraphinis*, (o) qui nunquam intermisso alarum motu, Divinam Majestatem continenter laudant; *optimum enim DEUM tota die laudandi medium est, quidquid egeris, agere bene*. (p)

Jam verò supremum Numen assiduè laudare, semper orare, aliis præluere, justitiæ flagella arcere, meritis in horas ditescere, quanta hæc lucra,
men-

(h) Dan. 10. v. 6. (i) Greg. M. hom. 13. in Evang. (l) 3. Reg. 7. v. 34. (m) Luc. 18. v. 1. (n) S. Hilarius in Psal. 1. v. 2. (o) Isa. 6. v. 3. (p) Aug. super Psal. 3. v. 4. concione 2. in fine.

mentisq̄ue decora sunt? & en! omnia hæc perdita cessant, si easdem functiones negligentius expleverimus. Non jam lampas, altare, Seraphini; sed *palea & favilla*, (q) *arbores infructuosæ*, (r) *pannus menstruata*, (s) *uva fellis* (t) erimus, in qua nec botrus à putredine immunis reperietur; Jobi erimus tetrīs ulceribus toto corpore cooperti.

Quid enim aliud sunt operationes minùs bene peractæ quàm foedæ fordes, rami steriles, putres racemi, pestilentes maculæ, omnem *filia Regis ab intus gloriam & pulchritudinem* (u) corrumpentes. Enimvero vel cæci sumus, si jacturæ magnitudinem non penetramus; vel stulti, si agnitam non prævertimus. O Domine! qui es *sanctus in omnibus operibus tuis*, (x) da gratiam, quotidianis posthac negotiis ita vacandi, ut tibi gloriæ, proximo salutis, mihi merito sint.

III. Deni-

(q) Job. 21. v. 18. (r) Judæ. v. 12. (s)
 Isaïæ 64. v. 6. (t) Deuter. 32. v. 32. (u)
 Psal. 44. v. 14. (x) 144. v. 13.

III.
 Uti & per-
 fectionis
 suspendi-
 um.

III. Denique Religiosi qui sumus, tenemur sub gravi peccato tendere ad perfectionem nostro statui congruentem. Jam verò ex mente Ascetarum remedium satisfaciendi huic nostræ obligationi efficacissimum & facillimum est solers cura opera quotidiana bene peragendi; cùm hæc sit brevior, facilior, & certior ad sanctitudinem via. Hæc enim consistit in eo, ut agamus, quæ DEUS & quomodo vult; id autem facimus, functiones consuetas accuratè obeundo. Proin hæc actionum accuratio est facillimum & efficacissimum subsidium ad magnam sanctitatem brevi tempore & certò perveniendi.

Et hinc interroganti, qua via quis ad culmen virtutis expeditiùs valeat eluctari, hanc ipsam operum integritatem mellifluus Abbas designat; qualia enim hæc fuerint, tales & nos erimus: perfecti, si perfecta: mali, si mala; cùm ipsa Christi sanctitudo triginta annorum spatio in sola hac operationum diurnarum bonitate consistite.

stiterit. Nec alia solertia *mulier* illa Proverbiorum cap. 13. *fortis & beatæ* encomium promeruerit, quàm apprehendendo *fusum*, quærendo *lanam & linum*, dando *cibaria ancillis suis*, *agrum* emendo, *vineam* plantando. Nec alio conatu Aloysius, Stanislaus, aliiq̃ue brevissimo vitæ cursu ad stupendam adeò sanctimoniam pervenerint, quàm communia non communiter agendo. Igitur verè nobismet ipsis inimici sumus, nec levi supplicio digni, si adjumento tam facili & efficaci solerter uti, eoq̃ue obligationi tam gravi ac principi satisfacere negligamus cum irreparabili religiosæ perfectionis dispendio.

Quosque tandem, ô Superi! solummodo æternorum incuriosi erimus, qui jacturæ teruncii adeò indolemus? Ergone solum coelestia ejus generis lucra sint, quæ meritò vilipendantur, & sine detrimento perdantur? Solane perfectio vilis adeò res sit, ut ne quidem remedio tam facili comparari mereatur, & cujus neglectio jure in
postre-

postremis habeatur? O DEUS virtutum! (y) qui vis, ut in omnibus operibus meis præcellens sim, (z) revelatandem oculos meos, (w) ut agnitionem tot lucrorum pretio, eorum amissionem jugi dolore defleam, ac deinceps caveam.

§. II.

Damnum secus emergens.

I.
Mors tristior.

I. **O** quantopere aliquando in limine æternitatis constitutos hæc cogitatio torquebit: potuissem vivere sanctè, idque tam facili remedio potuissem, modò illum in quocidianis functionibus languorem excussissem: modò præscriptas iis perficiendis industrias servassem: modò bonam intentionem sæpius elicuissem. Ah! hæc omnia tam commodè fieri poterant non alia, solùm aliter agendo.

At modò (ô detestabilem ignaviam!) per illas ipsas actiones, sacrificia,

(y) Psal. 8. v. 11.
(w) Psal. 118. v. 18.

(z) Eccli. 33. v. 23.

ficia, meditationes, examina, divini officii pensum, conscientiae labes, remorsus & poenas auxi, per quae (si modò modicam mihi vim intulissem) sublimem illum, quem modò iste collega meus occupat, gloriae thronum conscendere licuisset.

Alii mei in religione focii id egerunt; eorum exemplo animatus, idem & ego facere proposui: etiam incepti. O utinam continuâssem! brevi adhuc perseverantia opus fuisset, & vicissem. Sed turpi inconstantia victus à coeptis destiti, cum neglectu excelsae illius, ad quam me DEUS vocaverat, perfectionis.

Ah! recordor laborum, miseriarum & tædiorum, quae in consuetis actionibus per vitae cursum occurrerunt. O quae fastidia in scholis, quales molestiae in itineribus, quanta vigiliae in studiis, quot difficultates in explendis muneribus erant exantlandae? Si illas patienter bona cum intentione tulissem; si his rite perfun-

ctus fuisset, magnam in cælis gloriam promeruissem.

Sed modò (ô vesaniam immanem!) diu noctuque operando, studendo, sudando *in vanum laboravi*; (a) meque sine merito (proh dolor!) pro nuce cassa fatigando, vires exhausti, fanitatem destruxi, vitam decurtavi; & loco mercedis, nil nisi multas cumulavi, Divinæ Nemesei persolvendas. Quid? quod ab ipsis etiam hominibus loco quæsitæ laudis & commodi, justo DEI judicio non nisi confusionem retulerim, & afflictionem ipso labore amariorem.

Hæc erunt sensa hominis moribundi, qui, dum vixit, consuetas functiones oscitanter deproperavit. Cave ergo, ne tunc etiam tu cum Hussæo Vate ingemiscere cogaris: *habui noctes laboriosas, menses vacuos*, (b) vacuos meritis, non nisi piaculis plenos; *dies mei fugerunt, & non viderunt*

(a) Isa, 49. v. 4. (b) Job, 7. v. 3.

vant bonum; (c) defecerunt in vanitate . . . sicut fumus, (d) qui seras modò lacrimas exprimit. Egi parum boni, & hoc ipsum parum bene. *Tota vita mea nil aliud erat, quàm catena ex meris defectibus tristi serie contexta, qua ligatum me dæmones Divino Judici sistent.*

Verbò: *nihil sunt dies mei: (e) cogitationes meae cogitationes inutiles: opera mea opera inutilia sunt: (f) vacua est anima mea: (g) nihil invenio in manibus meis: (h) vanè fortitudinem meam consumpsi. (i) Et tamen magnis jam jam umbris imminet sterilis illa nox, quando nemo potest operari: (l) ubi tempus non erit amplius (m) lucra colligendi, & damna vitandi. O quis mihi tribuet, ut sine juxta menses pristinos, secundùm dies, quibus splendebat lucerna ejus super caput meum! (n)*

B 2

Verùm

(c) Job. 9. v. 25. (d) Psal. 77. v. 35. & Psal. 101. v. 4. (e) Job. 7. v. 14. (f) Isa. 59. v. 6. & 7. (g) Isa. 29. v. 3. (h) Psal. 75. v. 6. (i) Isa. 49. v. 4. (l) Joan. 9. v. 4. (m) Apoc. 10. v. 7. (n) Job. 29. v. 2. & 3.

Verùm cùm neglectæ non revolent gratiæ, saltem ô *Custos hominum!* (o) *recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ,* (p) offerendo tibi pro perditis tot lustris *cor contritum & humiliatum,* quod, spero, *DEUS non despicias:* (q) & cavendo, ne dierum meorum etiam *residuum comedat bruchus teporis,* aut *rubigo vanitatis,* aut *locusta illecebrarum.* (r)

II.
Judicium
rigidius.

II. Fato perfunctos, solæ actiones nostræ comitabuntur *ad tribunal Christi,* ut ibi referat *unusquisque propria corporis, prout gessit sive bonum sive malum.* (s) Ibi non quæretur, quàm illustrem in hoc mundi theatro personam sustinuerimus; sed quàm bene? nec quàm splendida obiverimus munera; sed quomodo? nec quàm commodè injunctas functiones exolverimus; sed quàm sanctè?

In tabula illa, ex qua nos Satan accusabit, hæ ipsæ occupationes diurnæ

(o) Job, 7. v. 20. (p) Isa, 38. v. 15. (q) Pfal. 50. v. 19. (r) Joël, 1. v. 4. (s) 2. Cor. 5. v. 10.

næ legentur descriptæ. Ibi annotata cernentur aliquot millia meditationum, examinum, lectionum vel omiffa, vel decurrata, vel oscitanter deproperata: aliquot centenæ confessiones, communiones, Numinis Eucharistici visitationes tepidè sine fructu, ex more solùm peractæ: innumeræ corporis refectiones, animi relaxationes, studia aliique labores sine bona intentione, ex impetu, vana gloria, alióve vitio exercita.

Verbô: negotia quotidiana erunt præcipua illius examinis materia; cùmque ex illis nostra omnis vita primariam partem sit composita, illorum etiam qualitati mercedis magnitudo, aut cruciatuum acerbitas potissimùm respondebit. Quippe *Filius hominis*, à *cujus oculis non est quicquam absconditum*, (t) *reddet unicuique secundum opera ejus*; (u) *non secundum nominis famam, statûs conditionem, aut sanguinis prærogativam; sed secundum opera*: & quidem *unicuique*, æquè

B 3

regi

(t) Eccli, 39. v. 4.

(u) Matth. 16, v. 27.

regi ac subdito, nobili ac plebeio,
religioso ac mundano, etiam tibi;
*non enim est acceptio personarum apud
DEUM.* (x)

O anima! quis tibi tunc sensus
erit? cum inspecta tuorum actuum
vitiositate, Divinus Judex tibi dicet:
*en! etsi rem grandem dixissem tibi, &
imperassem, certè facere debueras.* (y)
Si te ad perfectionem per vitæ auste-
ritatem, orationis assiduitatem; Verbi
DEI prædicationem tendere voluissem,
procul dubio per has etiam spinas ad
illam eluctari debueras; quanto ma-
gis, cum nil aliud exegerim, quàm
ut illud, quod aliàs tibi perficiendum
incubuit, etiam perficeres bene: ut
illud ipsum etiam tu erga me præsta-
res, quod quilibet rusticus à suo fer-
vo petit; & quod boni opifices sua
sponte curant, nempe ut quod agunt,
agant bene. Quid, quæso, flagitare
minus à te, quid levius poteram?

Voca-

(x) Rom. 2. v. 11. (y) 4. Reg. 5. v. 33.

Vocavi te ad magnam sanctitatem; adjumentum illius acquirendæ non supra te erat, nec longè positum, nec in celo situm, nec trans mare positum; sed juxta te erat sermo valde in ore tuo & in corde tuo; (z) scilicet ut facienda aliàs bona, non faceres malè. Ergo inexcusabilis es, ô homo! (aa) quod neglecto tam facili obtinendæ perfectionis adjumento, iisdem laboribus auxeris culpas & pœnas, quibus merita & præmia potuisses; & quidem tam levi impendio potuisses. Quod majori attentione legeris profana, quàm sacra: luseris, quàm orâris: studueris, quàm sacrificâris. Quod majori accuratatione alii servierint mundo pro tenui lucello, quàm tu mihi pro celo.

Insuper *servire me fecisti in peccatis tuis, præbueris mihi laborem in iniquitatibus tuis*, (bb) cogendo Omnipotentiam meam, ad unâ operandum; & Sanctitatem meam, ad intuendam

B 4

hanc

(z) Deut. 30. v. 11. (aa) Rom. 2. v. 1.
 (bb) Isa. 43. v. 24.

hanc imperfectionum sentinam. Age: ad hæc quid respondebis? qua excusatione iras Judicis, hæc exprobrantis, mitigabis?

O scrutans corda & renes DEUS! (cc) quid sum miser tunc dicturus? non potero respondere unum pro mille; & si etiam justificare me voluero, (dd) ipsa opera mea condemnabunt me. Nulla toto vitæ cursu deberet actio numerari, quæ puro amore non tendat ad te; & inter tot vix ullam reperio, quæ plurima labe non sit vitata. Toto vix non die mecum laborare te feci in defectibus meis, (ee) tuo concursu, sensibus corporis, & animæ viribus, (quæ tuum tamen beneficium sunt) in tui offensam indefinenter abutendo.

Et hac Te malitia ego offendi, qui tot vinculis servus tuus & filius ancillæ tuæ sum, (ff) mille nominibus ad tibi perfectè serviendum devinctus.

Sed

(cc) Psal. 7. v. 10. (dd) Job. 9. v. 3. & 20.
(ee) Malach. 2. v. 17. (ff) Psal. 115. v. 6.

Sed poenitet! . . . sanctiora promittenti donum fac remissionis ante diem rationis; (gg) & da, ut modò sollicitè agam, quæ in illo rerum articulo egisse optabo, ac neglexisse multis sed feris lacrimis deflebo.

III. Denique ô quanto terrore percellemur, dum finito iudicio videbimus, nos tot laboribus nostris loco præmii non nisi cruciatus meruisse; & actiones nostras, ob quas nobis non rarò vanè complacuimus, aliisque prætulimus, ob imperfectum, quo peractæ sunt, modum in oculis DEI non nisi paleas fuisse, piacularibus rogis devotas. Labor & dolor gemini sunt cardines, circa quos omnis vita constanti gyro circumvolvitur.

III.
Pena gra-
vior &
diuturni-
or.

Quàm miserum ergo est, laborando, currendo, sudando toto die nil nisi ligna & stipulas comportasse, augendis lustralibus flammis aptas? quàm flebile, exantlatis tot miseriis, quæ certè in hoc mundo exiguæ haud sunt,

B 5

ad

(gg) Eccla, in missa defunct.

ad extremum non nisi lustricum carcerem promeruisse? & quidem promeruisse ob negligentiam in perfectè obeundis occupationibus consuetis, quæ tam facilè vitari potuisset. Et tamen an non hæc dementia passim etiam à Religiosis admittitur, quorum functiones diurnæ plerumque laborant vel defectu puræ intentionis, vel debiti fervoris & applicationis, aut alio, qui operis meritum tollit, vel saltem minuit, nævo.

O miser! quid senties ad primum illius ergastuli ingressum? cùm te subito videbis medium in ignibus, tenebris, cruciatibus, derelictum ab omnibus, sine ullo dolorum levamine aut intermissione; idque propter illas actiones, quibus has flammæ evitare, & cæli gaudia cumulare debuisses, ac etiam tam facilè potuisses. Edic: quomodo tum illas explèsse desiderabis?

At frustranea tunc erunt vota;
nunc si sapias, cùm adhuc *tempus est*
acce-

acceptabile ; dum lucent *dies salutis* ,
(hh) tibi sedulò provide. O si pur-
ganti animæ redeundi in mundum co-
pia fieret , qua sedulitate operationes
quotidianas esset peractura ? Crudelis
ergo dementiæ rei sumus , nisi & nos
agamus , quod illa anima ageret , &
quod omisisse etiam nos aliquando in
piaculari carcere amarè deplorabimus.

O Domine, *cujus opera univèrsa sunt
perfecta valde*, (ii) da, ut tot damnis
territus, deinceps non agam nisi bona,
eaque bene, nempe cum pura *inten-
tione* & debito cum *fervore*. Ah! mil-
le titulis totus sum tuus ; formâsti
enim *me ex utero servum tibi*. (ll)
Unicè propter te vivo, omnia à te
habeo, à te in cunctis dependeo. Ma-
ledicta igitur illa sit actio, quæ ex alio
fine quàm ex Tui amore peragetur.
Obmutescat citiùs lingua, exarescant
manus, tota potiùs mens à se aliena
aberrret, quàm ut in posterum quic-
quam

(hh) 2. Corinth. 6. v. 2. (ii) Eccl. 39.
v. 21. (ll) Isai. 49. v. 5.

quam agam, loquar, aut cogitem, cu-
jus Tu principium non sis & finis.

Cúmque indignum sit, ut illa quæ
fiunt propter Te, tam magnum Monar-
cham, fiant malè & oscitanter; imò
cùm Tu ipse, ô DEUS! cuncta, quæ
disponis circa me vilem vermiculum,
opereris *in numero, pondere & mensura*;
(mm) ingritudinis monstrum fo-
rem, si languida tibi & manca repen-
derem opera. Proin pone Te velut
signaculum super cor meum, ut *purè* :
velut *signaculum super brachium meum*,
ut *ferventer* tibi posthac serviam,
actiones quotidianas perfectè obeun-
do. (nn)

§. III.

*Methodus actiones quotidianas
perfectè obeundi.*

Postquam, allatis suprà incitamentis,
voluntatem impulimus ad conci-
piendum efficax propositum, occur-
rentes

rentes quotidie operationes, secundum perfectionis regulas peragendi, restat, 1. ut etiam intellectum doceamus methodum, easdem perfecte obeundi. 2. ut eundem instruamus subsidiis, hanc in rem profuturis. Porro modus, eas bene explendi, in sequentibus consistit.

I. Inprimis requiritur, ut opera, quæ fiunt, sint *bona*, iisque fungamur etiam *bene*. Porro ut ea, quæ agimus, etiam in foro cælesti censeantur bona, non solum oportet illa patrari in statu gratiæ; sed debent insuper ejus generis esse, quæ ab obedientia vel imperentur, vel saltem permittantur. Non enim sufficit, ut actiones nostræ naturâ sua sint honestæ; vel, si indifferentes sint, ut per puram intentionem meritoria reddantur ac spiritalia. Sic quamvis excipere confessiones, visitare ægrotos, legere volumina Patrum, optimæ secundum se functiones sint; si tamen ab obedientia non præscribantur, vel saltem dissimulentur, ex salutaribus redduntur vitio-

L
Conditio-
nes ad id
requisita.

vitiosæ, præmiiq̄ue locò castigatione dignæ. Proin ut occupationes nostræ ad supernum ordinem elevari queant, opus est, ea vel imperari ab obedientia, vel saltem permitti. Quæ enim contra vel præter Superiorum imperia fiunt, propriæ voluntatis aut singularitatis vitio infecta, ex bonis in mala noxia metamorphosi degenerant.

Dein minimè sufficit, ut ea, quæ vacamus, negotia sint *bona*, sed insuper exigitur, ut etiam exerceantur *bene*. Nam in curia cælesti *non tam verba attenduntur, quàm adverbia*: (a) nec tam res, quæ fiunt; quàm modus, quo fiunt, divinæ lanci imposita pondus habent. Cùm vel ipso Seneca teste, *non in factò laus sit, sed in eo, quàm bene fiat*. (b) Et meritò; nam, ut ait S. Cyprianus: *sanctum non est, quod sanctè non fit*. (c) Imò ipsum bonum, *nisi bene fiat, boni nomen amittit*. (d) Et hinc ipse DEUS in sacris Paginais,

(a) Gerson lib. de vit. solit. (b) In Epist. ad Lucil. (c) De orat. Dom. (d) Elias Gretens.

nis, ut *justè*, quod *justum est*, exequamur, monet, (e) cupitque, ut *in omnibus operibus nostris præcellentes simus*. (f) Hæc autem excellentia quatuor complectitur dotes, nempe ut, quæ à nobis aguntur, perficiantur 1. purè, 2. ferventer, 3. integrè, 4. & tempore præscripto.

Prima igitur dos *intentionis puritas* est, qua major DEI gloria semper, & in omnibus purè ac unicè intendatur. Nam quod oculus est corpori, id intentio est operi. Sicut enim, docente Christo, *lucerna corporis tui est oculus tuus*, ita anima operis tui est intentio tua. Sicut ergo, si *oculus tuus fuerit simplex*, totum corpus tuum *lucidum erit*; contrà verò, si *fuerit nequam*, totum corpus tuum *tenebrosum erit*. (g) Pari modo etiam exercitationes tuæ suum omne pretium ab intentionis excellentia nanciscuntur.

Proin è specula mentis vigili oculo explora, an non præter Divinam etiam
tuam

(e) Exod. 16. v. 20. (f) Eccl. 33. v. 23.
(g) Matth. 6. v. 22.

tuam nequiter quæras laudem? an non tacitè aliquod commodum, propriam voluptatem, aut quoddam oblectamentum furtivo obtutu spectes? Cavendum enim sedulò est, ne amor sui, pietatis larvam indutus, sese subdolè insinuet; &, si non initium, saltem medium actionis, aut ejus finem venenata aspergine corrumpat.

Id ergo ne fiat, cuilibet exercitio singillatim bonam semper intentionem præmitte; eamque sub eadem functione, præcipuè si illa diutius continuata duraverit, aliquoties renova. Secus reliqua opera, ob interruptam (quod plerumque & facilè fit) influentem prioris vim, maximam partem merito vacua, adeoque & præmio cassa vilescunt.

Altera qualitas animi *fervor* est, qui irrepentem, nescio, quem in operationes nostras languorem, ocyus expellat, fugetque. Ea enim nostri generis indoles est, ut cum horologii pondere semper ad ima ruat, & cum ef-
ferve-

fervescente flamma mox iterum emoriens subsidat; nisi æthereus quidam ardor suppetias veniat, consistens in discreta mentis attentione, & prudenti ejusdem ad præsens opus applicatione. Ubi tamen genuinus, quem requirimus fervor, bene discernendus erit à quadam inconsiderata (ut cum vulgo loquar) præcipitantia & inquieta activitate, qua quis (Hugonis verba sunt) *id, quod agit, deproperat, & ad id, quod nondum agit, festinat. Unde fit, ut nec presenti, nec futuro satisfaciat.* (h) Rectè operatur, qui ita fervet, ut nil præcipitet: ita properat, ut nil deproperet: & ita quidvis agit, quasi nil quod agat, supersit.

Porro homo fervidus in bene obeundis occupationibus quotidianis brevi temporis spatio illum virtutis gradum assequetur, ad quem piger & languidus plurium annorum intercapedine testudineo gressu vix adrepet. Sicut enim (ut ait S. Gregorius Nazianzenus) *præstat parum auris multis*

Pars II.

C

plum-

(h) In quæst. ad Hebr.

plumbi libris; (i) sic etiam exercitatio ferventer expleta, quantumvis exigua, innumeris aliis tepidè peractis immensum præponderat.

Tertiò requiritur *integritas* quædam operis ac *constantia*, qua caveatur, ne in illius continuatione de intentionis puritate, aut concepto calore quidquam remittatur, aut res omnino imperfecta, abruptaque intermittatur. Sæpe meditationem, sacrificium, piam lectionem, pensum canonicum recta cum intentione, magno cum ardore auspicamur. At dein, nescio, quo superveniente teporis Austro, in media actione languidi marcescimus; & cum languore finimus, quod cum fervore incepimus.

Item non rarò aut negotii fastidio correpti, aut laboris assiduitate fracti, inchoatum & pendens relinquimus, quod magnis animis aggressi sumus. Cum Sulamitide illa *ascendimus* quidem *in palmam*; sed fessi à conatu mox iterum

(i) Orat. I.

rum desistimus; & sic nunquam *apprehendimus fructus ejus.* (1) Imò etiam impensæ prioris operæ mercede frustramur. Proin adagium illud altè menti impressum hæreat: bene cœpta *in fine ne corrumpas*; nam corona non nisi perseverantibus datur.

Quarta denique operis conditio est, ut fiat *tempore præscripto.* Nam (ut ait Ambrosius) *bene operantem, & divina tractantem oportet in distributione temporum magnam servare accuratorem.* (m) Ad quod plurimùm conducet exacta observatio præscripti jam sibi, vel certè præscribendi in posterum ordinis diurni, curando, ut omnia peragantur non solùm modo, sed etiam tempore præfinito.

Incredibile dictu est, quanti momenti hæc monitio sit, quantumque conferat ad perficiendas operationes nostras; quidquid enim ex ordine fit, etiam ordinatim fit. Accedit, quod hujus spontaneæ dispositionis diligens

C 2

cura

(1) Cant. 7. v. 8. (m) In Psal. 118.

cura fit continuum propriæ voluntatis holocaustum, suam in agendo libertatem hac arte indefinenter sacrificantis. Quæ litatio non potest non esse & DEO gratissima, & nobis utilissima.

His quatuor dotibus ornatae actiones nostræ si fuerint, erunt eæ (ut Apostolus ait) *aurum, argentum, & lapides pretiosi*, (n) ac dignæ, quæ *super altare aureum, sedenti in throno*, ab Angelis offerantur. (o) Secus erunt *ligna, fœnum, stipula*, ultricibus flammis devota. Nam teste eodem Doctore Gentium, *uniuscujusque opus, qualis sit, ignis probabit. Si cujus opus manserit velut aurum, mercedem accipiet; si cujus opus arserit velut fœnum, detrimentum accipiet*, (p) illudque in fumum abibit, feras lacrymas expressurum.

Proin cum Hussæo Vate etiam tu
verere omnia opera tua, sciens, quod Di-
vina

(n) 1. Cor. 3. v. 12. (o) Apoc. 8. v. 3.
(p) 1. Cor. 3. v. 13. & seq.

vina Nemesis non parcat delinquenti; (q) & cordis intima ingressus, inquire, qua intentionis puritate, mentis ardore, quàm integrè ac ordinatè occurrentes quavis die exercitationes obire consueveris? Vide, an non etiam DEUS tibi, quod olim Episcopo Sardicensi exprobrare possit, dicendo: *non invenio opera tua plena*; (r) cùm inanis gloria, mundi vanitas, respectus hominum, cuticulæ amor, carnisque commoditas laneo pede adrepentes, eorum meritum omne tinearum more invido dente arrodant, corrumpantque?

O infelix! quid animi tibi erit, cùm ad mortis confinia deductus, ingemiscere cogèris: heu! *dies mei fugerunt, & non viderunt bonum!* (s) *in vanum laboravi, & vanè fortitudinem meam consumpsi!* (t) ah! me miserum! per totam vitæ noctem laborando nihil cepi, & iudicio mox sistendus, *virtutis nullum signum ostendere*

C 3

dere

(q) Job. 9. v. 28. (r) Apoc. 3. v. 2.
 (s) Job. 9. v. 25. (t) Isa. 49. v. 4.

dere valeo, in malignitate mea consumptus; (u) ita, inquam, cum lamentari cogéris, quomodo tunc functiones quotidianas peregisse optabis?

Igitur in tempore tibi consule, antequam contenebrescat, & antequam offendant pedes tui ad montes caliginosos; (x) id est, ad ultima vitæ tempora variis infirmitatibus, ac senio impotenti obnoxia. Audiens esto moniti Salomonis, & ne des annos tuos crudeli, scilicet vanitati; ne fortè gemas in novissimis, quod consumpseris carnes tuas & corpus tuum, nempe sanitatem & vires, sine utilitate. (y)

II.
Subsidia
ad id pro-
futura.

II. Ut autem concepta proposita eò certius executioni mandentur, aliqua suggeram subsidia hunc in finem plurimum profutura. Primum est, ut ex probatis Auctoribus (z) excerpatur methodus occupationes, quotidie occurrentes, secundum sanctitudinis

(u) Sap. 5. v. 13. (x) Jerem. 13. v. 16.
(y) Proverb. 5. v. 10. & 11. (z) P. Christ.
Mayer Enchirid. P. Natalis conversatio cælestis.
P. Lerchenfeld Horologium Spirituale.

nis leges perficiendi; unam exercitationem, post alteram ad sanctimoniam regulas amplius elimando, ac successu temporis etiam in consuetudinem deducendo. Juerit initium facere ab iis, quæ DEUM: dein progredi ad ea, quæ proximum: demum finire per illa, quæ nos ipsos concernunt.

Nam ejusmodi institutiones sunt dives aurifodina, unde genuinæ pietatis aurum levi brachio eruitur. Sunt thesaurus, ubi variarum praxium selecti uniones, ac copiosæ industriarum gemmæ asservantur, quibus operum nostrorum corona pretiosè dicitur. Sunt denique illæ, quem Ezechiel vidit, *funiculus lineus & calamus mensuræ*, (aa) quibus actiones nostræ secundum omnes quatuor charitatis dimensiones perpoliuntur, & ad perfectionis apicem perducuntur.

Alterum subsidium est, ut cuilibet functioni, saltem diutius duranti, subjungatur breve quoddam quasi exa-

C 4 men,

(aa) Ezech. 40. v. 3.

men, coniecto unico oculi nictu in
navos operationis positæ, cum sub-
iuncto efficaci dolore & emendatio-
nis proposito. Quod tunc denuo re-
novandum erit, quando idem nego-
tium repetitò explendum occurret.
Secus similes erimus viatori, eandem
femitam identidem decurrenti, qui
continenter *offendit ad lapidem pedem
suum*, (bb) medium viæ occupantem;
quin unquam cauto obtutu respiciat
in petram tot offendiculorum causam.
Nisi enim in commissos defectus so-
lerti indagine inquisiverimus, iisdem
easdem exercitationes denuo inquina-
bimus; & erunt hæ *quasi pannus men-
struata* in oculis Domini. (cc)

Ejusmodi censoriæ actionum nostra-
rum disquisitiones aptè comparantur
illis mulierum speculis, ex quibus Moy-
ses *fecit labrum aneum cum basi sua*,
(dd) ut in iis Sacerdotes suas, queis
forderent, maculas observarent, &
mox præsentis aqua abluerent. Nam
etiam

(bb) Psal. 90. v. 12. (cc) Isa. 64. v. 6,
(dd) Exod. 38. v. 8.

etiam hæ investigationes illas nobis
labes fideliter detegunt, queis opera-
tiones nostræ infectæ scatent. Cui
notitiæ si accesserit eas corrigendi
prompta voluntas, brevè lucebunt
*omnia opera nostra velut Sol in conspectu
DEI.* (ee)

Tertium in eo consistit, ut quod-
libet exercitium ita peragatur, ac si
foret ultimum vitæ, & quasi illo fini-
to statim essemus ad supremum tribu-
nal à Divino Judice evocandi, seve-
ram de eo rationem exacturo. Mel-
lisflui Abbatis hoc monitum est, ita
hortantis: *in omni opere tuo dic tibi
ipsi: si modò moriturus esses, an & quo-
modo faceres istud?* (ff) idem, ut aga-
mus, Thomas à Kempis suadet, di-
cens: *sic te in omni facto deberes tene-
re, quasi mox esses moriturus.* (gg)

Et meritò: nam, cùm quælibet oc-
cupatio possit esse ultima vitæ, etiam
quævis eâ accuratione obeunda erit,

C 5

ac

(ee) Eccli. 17. v. 16. (ff) In specu. Monach.
(gg) De imit. Christi, 1. 1. c. 23, n. 1.

ac si eâ confectâ mox in domum æternitatis migrandum foret. Si enim auctore Augustino ideo *observandi sunt omnes dies, quia latet ultimus dies,* (hh) & quia talis quilibet esse potest; ergo ob rationis similitudinem, cùm pariter quævis exercitatio possit esse nobis extrema, etiam quælibet eâ ipsa perfectione exequenda erit, qua illam perageremus, si postremam fore certò sciremus.

Dein licèt ea fortassis omnium novissima haud sit, tamen, cùm semel admissi in ea defectus tota æternitate emendari haud amplius queant, damnum inde emergens, lucrumque cessans æquè utrumque irreparabile est. Quàm potens autem hoc incitamentum sit, injunctis muneribus rite fungendi, nil attinet hìc fusiùs deprædicare; cùm ipsa res hujus remedii efficaciam abunde extollat.

Ultimum denique adjumentum exercitationes, quavis die occurrentes,

(hh) In cap. i. Joan.

tes, rite perficiendi in eo positum est, ut pia nos astucia fallentes, in præsens solummodo, quod præ manibus est, negotium intentionem animúmque defigamus, quasi non nisi hoc perfectè nobis exequendum incumberet, mentis oculos à reliquis sancta dissimulatione detorquentes. Quo artificio illi tentationi occurremus, quæ dæmon pusillanimes nos rei successum desperare jubet, illud identidem oggerendo: tunc omnes actiones totius vitæ cursu nunquam non adeò exactè exequi possis? tibi tam continua applicatio, virium intensio, mentis sensuúmque carnificina perpetuò possibilis sit?

Hoc armorum genere Alastor stygius ipsum etiam sanctum Parentem Ignatium suæ sanctioris vitæ initio aggressus fuerat. Qui tamen hunc assultum hoc ipso, quod suggerimus, subsidio fortiter repressit, ac debellavit. Quo si etiam nos usi fuerimus, unum tantum ac præsentem solum functioni intendendo; futurorum verò temporum

rum operúmque feriem à corde tantisper excludendo, labor imminuetur, tædium fugabitur, ac animus miro vigore obfirmatus roborabitur.

Et hæc quatuor documenta sunt insignia prorsus instrumenta, omnes nostras functiones cœlesti artificio inaurandi, ad optatæ perfectionis gradum sublimandi, eisque supernam merendi vim tribuendi. Itaque vide, num ista, quóve modo deinceps exsequi statuas; ut etiam tu cum Christo dicere queas: *quæ placita sunt ei, (nempe æterno Patri) facio semper.* (ii) Id enim si egeris, eris *quasi lignum plantatum secus decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo.* (ll)

(ii) Joan. 8. v. 29. (ll) Psal. I. v. 3.



CAP. II.